



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 25. Jaurinum a Schwarzenburgo Barone Turcis ereptum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI. A. C. 1598. conspirare malint: inde ergo ortum traxit nova illorum unio, quæ progressu temporis totam Germaniam maximis calamitatibus involvit.

§. XXV.

Jaurinum a Schwarzenburgo Baro Turcis ereptum.

*Thuan. l. c.
Spond. hoc
anno n. 19*

Postquam Principum Legati Ratisbona recesserant, præter omnium expectationem Pragæ nuntius venerat, significans, Jaurinensem urbem ante triennium ab Hardecco Comite Turcis traditam, & a Cæsareis anno priori incassum obsessam ab Adolpho Barone Schwarzenburgo Comorensi Præfecto astu captam fuisse; strenuus enim Bellidux dudum de hac urbe Turcis eripienda consilia agitans summo silentio, ac celeritate necessariis ad hanc expeditionem comparatis Comora proficiebatur, trajectoque Danubio equites suos præmiserat, qui iter explorarent, atque obvios quosque interciperent, ne ejus adventus hosti innotesceret: cumque Turcæ firmitate urbis nimium confisi negligentius eam tuerentur, Vobecurtio, & Caviaco datum est negotium, ut binas machinas evertendis portis, ac mænibus aptas clam admoverent: insuper ad hujus propositi executionem in bellico Senatu decernebatur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1598.

tur, ut perfractis portis milites in urbem irrumperent, ac platearum vias intercluderent: Hungaricus vero peditatus ad vallum, portamque, quæ Albam-Regalem ducit, properaret: præprijis severe interdicebatur, nequis ante urbem penitus occupatam ad prædandum diverteret. His ita sancitis Schwarzenburgus cum potissima exercitus sui parte propius accedebat; Pal-fius vero cum levis armaturæ equitibus circumcurfitebat, præpediturus, ne ulibi hostis catervatim sese colligeret: postea primo diluculo quinque Hussari-turcicæ linguæ periti ad urbis mænia accedentes ajebant, se literas ad Buden-sis Agæ sponsam deferre, ipsisque injun-ctum esse, ut eo tempore, quò annona a Præfecto urbi inferretur, ipsi hanc spon-sam ad suum Maritum deducerent: cum autem Christiani huc, illucque sparsi annonæ insidiarentur, pontem ante lu-cem dimittere consultum foret: his di-ctis Turcæ fidem adhibent, pontemque sine doli suspitione demittunt, atque ipso cœlo Christianis favente tam densæ nubes, ventorumque turbines exoriun-tur, ut hostibus oculorum usum adime-rent: hac igitur temporis iniquitate in-rem versa, perfractisque clatris per por-tam vi apertam Schwarzenburgus cum quater mille quingentis toto impetu in-

X 5 urbem

Sæcul. XVI.
A.C. 1598.
urbem irruit: verum Turcis undique ad arma concurrentibus diuturnum non minus, quam atrox, utrinque certamen commissum est: cæso tamen ipso Turcarum Præfecto, ejusque capite hastæ affixo circiter trecenti Janisari, qui ex clade sese collegerunt, ad munimentum, in quo pulvis pyrius asservabatur, sese recipiebant, quos Christiani confestim insequiebantur, improvido tamen consilio, pulvere enim ignem concipiente, quo casu ignoratur, potissimi unacum Turcis in aera raptabantur: cum autem hostis resistendo impar esset, die vigesima nona Martii Schwarzenburgus spatio duodecim horarum urbe potitus prædam victoribus distribuit, urbemque restauratis ruinis decem præsidiariorum milibus munivit, ablegatis ad Cæsarem Palatio, & Vobecurtio, qui reportatæ victoriæ nuntium deferebant. Hæc ipsa tam fausta dies quotannis festiva tormentorum explosione, aliisque lætitiæ signis Jaurini gratissime recolitur.

§. XXVI.

*Vario Marte in Hungaria
pugnatum.*

Ishuanfius
l. 31. p. 742.
Kevenhiller
to. 5. p. 1926.

Postmodum die decima septima Aprilis Sigethensis Bassa cum exiguo prædatorum agmine prope Baboscam obequitans in trecentos incidit præsi-